

taxantes, qui quæstiones, in quibus philosophicus quidam terminus exauditur, proponere audent. Sed non attendunt illi ad eam, quæ inter Theologiam atque Philosophiam est, jam aliquoties memoratam, subordinationem. Minime omnium heic nobis vitio vertent, quod ita comparatam materiam nostris substernere meditationibus non dubitaverimus, ut de subjecto purè Theologico Philosophicum tamen prædicatum quæretur. Eccur enim novæ hujus sententiæ architectus & machinator fingendi, quod finxit, de ea disputandi dedit occasionem? quod in Theologorum Scholis, saltem sub his terminis, hætenus inauditum fuit. Licet enim de statu regentium & irgentium, hincque eorum etiam differentia omnia loquantur Theologiæ Systemata, si non concretivè, saltem in abstracto, haud tamen, istam differentiam specificam esse, abs ullo traditum antea temporis fuisse, memoriæ succurrit. Et cuinam, quæso, regentium ac irgentium statum cognitum Scripturis S. convenienter atque perspectum habenti vel somniando in mentem venit specificam inter eos differentiam comminisci? Si quem ergo Philosophiæ osorem præsens opella malè habitura fortassis est, non nobis id imputet, sed dictæ Observationis, tam lepidam sententiam continentis, Auctori, & assertionis animis auribusque rectius doctorum absone fabricatori, velimus.

§. VI. At aliud hic moveri posse dubium videtur: An nimirum rectè propositam quæstionem Problema dixerimus? quoniam Problema, ex usu Logicorum recepto, propriè ac strictè dictum est quæstio utramque contradictionis partem interrogans opinionis parandæ gratiâ, & in utramque partem licitè disputabilis, suppetentibus utrinque rationibus probabilibus. Opinio autem est cognitio infirma, ab argumentis duntaxat verosimilibus dependens, non omnem excludens animi dubitationem, atque formidinem oppositi. At Theologiæ nostræ principium, Scriptura S. seu immutabile DEI Verbum, est principium, etiamsi naturaliter inevidens, omnium firmissimum, gignens fidem divinam, quâlibet à Luminis Naturæ principiis & demonstrationibus, quamvis solidissimis, dependente scientia multò certiore. *Nam firmissimum habemus sermonem Propheticum, II. Pet. I. 19. & Verbum DEI veritas est, i. e. verissimum, Job. XVII. 17.* Verum enim verò, quæstiones Theologiæ non unius generis sunt,